



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Caluinista n. 47

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

45. A WITACKERO *Insigni Hæretico Anglicano in Epist. Dedicatoria ad librum de Verbo Dei, inter plura, & magna Bellarmini nostri, Ecclesieque Cardinalis, encomia concludit: Nunc edito Bellarmino, melius, & certius cognoscimus, quid illi in quacumque causa teneant, quibus potissimum argumentis nitantur: & quæ sit ipsa quodammodo Papismi medulla, quæ non magis in Papa ipso, quam in Iesuitis inesse creditur. Ita apud P. Ramirez in vita Bellarmini. lib. 2. cap. 3. fin.*

Sunt Papæ Mancipia, & Venatici Canes.

46. AB ALIJS Hæreticis, *Qui Societatis filios, iam Papæ Mancipia, iam Canes venaticos passim proclamant, in summum nostrum decus, & gloriam illud refertur apud Fr. Christoph. Auendaño Carmel. in ser. de Beatif. SS. Jgnat. & Xauer. discurs. 3. fol. mibi 85. Istud in lectione Sacra pro anno seculari Societ. typis edita Hispal. ann. 1640. fol. 11. Et Tom. 2. vir. Illust. Societ. in vit. P. Canisij S. 4.*

Cum illis nec ipsi Caluino disputandum.

47. A CALVINISTA *Quodam in Consistorio suo Calvinistico asseueranter affirmante, Ne Caluino quidem ab inferis excitato disputandi cum Iesuitis facultatem esse concedendam. Ita in Annal. Soc. ann. 1601. fol. 453.*

Ij ex virtutibus commendantur.

48. A GASPARE SCIOPPIO *Sub ouina pelle lupo, ac occulto Hæretico, cuius hæreses P. Albertus ab Albertis recenset in Tomo illo suo, cuius est Titulus, Generales vindictæ aduersus famosos Gasparis Scioppij libellos. Is in Iesuitarum virtutes falcem mittens sic ait: Talis etiam in eis est charitas, qui omnia sua relinquunt, & sequuntur Christum, siue paupertatem, & obedienciam alicui alteri, vel Christi Vicario vouent: & non modo bonorum externorum dominium seu proprietatem, neque modo corporis sui potestatem in perpetuum eiurant, sed etiam voluntatem suam, & quod omnium est potentissimum, mentem, & intelligentiam, Præposito seu superiori suo subiiciunt, ita vt nihil quicquam velint, nisi quod Præpositus iusserit, neque nisi quod eidem visum fuerit, verum esse censeant. Prorsus denique propter Christum se ipsos abnegant, & corpus, animumque in captiuitatem, & seruitutem alterius redigunt in oble-*

Præcipue ex obedientia Pontifici, & Generali.